


cus vacuus sed omne plenum formis. Ex illis pura, ex illis capaces gratia, ex illis fada, noxia & tentatrices: &c.



Dæmones cælestes à Secretioribus Theologis dicuntur mundani. Porro etiam & Olympici vocantur isti, qui in firmamento & astris ipsius habitant, atque horum officium est, fata decernere, & fatales casus inferioribus administrare, secundum voluntatem & permissionem Dei, vnde fit, vt neque malus dæmon, neque malum fatum ei, qui sedet in adiutorio altissimi nocere possit.

Cuiuslibet autem horum spirituum decretum est illud efficere, quod eius astrum, cui additus est, portenderit, tametsi sine permissione diuina nihil de potentia ad actum perducere potest, solus enim est Deus, qui posse & efficere dat illis, vt pote cui quasi omnium conditori datum est, vt tam supercælestia quam cælestia & sublunaria imo vero & infernalibus obediant pariantque.

Ad dæmones stellis fixis præfidentes quod attinet, illi qui in Zodiaco regna sua tenent, vel triplicitatibus videlicet igneæ, aereæ, aqueæ, vel terræ præfunt.

Alii singulis signis integris præficiuntur, videlicet, Malchidael, Arieti, Asmodel Tauro, Ambriel, Geminis, Muriel Cancro, Verchiel Leoni, Hamaliel Virgini, Zuriel libræ, Zarachiel Scorpioni, Advachiel Sagittario, Hanael Capricorno; Cambiel Aquario, Barchiel Piscibus, At vero nomina angelorum cuiuslibet signi, à consonantia, quam habent cum nomine cuiuslibet illorum, quibus præficiuntur, derivari solent, vnde ab Ariete Ariel; Telechiel, Suriel, Tommiel, Sartamiel, Betuliel, Masniel, Acrabiel, Chesitiel, Gediel, Deliel, Dagymiel, Ac si in latinis literis diceremus, Ariel, Tauriel, Geminiel, Cancriel, Leoniel, Virginiel, Libriel, Scorpiel, Sagittariel, Capriel, Aquariel, Pisciel; Vt cunque, certum est, quodlibet horum signorum habere peculiarem sibi præfectum, seu angelum, de quibus Cabalistsæ volunt Ioannem in Apocalypsi intellexisse, vbi in descriptione Ierusalem Cælestis mentionem facit de 12. portis ciuitatis, per 12. portas 12. Signa intelligens cælestia, quæ Plato vocat portas cæli, in quarum portarum qualibet dicit Apocalypsis inesse angelum, nam 12. portis ciuitatis cælestis verbis expressis assignat 12. angelos: atque vt signorum Zodiaci iuxta Astrologorum doctrinam tria sunt Orientalia, tria occidentalia, tria meridionalia, tria denique Septentrionalia, ita reuelator agnoscit assignatque portas tres plagæ orientali, occidentali totidem, nec non & meridiei tres, atque totidem, Aquiloni.

Ee 3

Porro